

vibus, frumento aliaque merce plenis, eo cursu intercep-  
tis, incolumes ad suos rediere. Illis receptis mox Paulus  
Lauretanus, qui Magnus cognominatus est, cum triremi-  
bus novem in Cyprum est missus, unde Venetos negocia-  
tores cum multa & preciosa merce Venetas devexit.  
Dum hæc circa insulas geruntur, quatuor Ligusticæ tri-  
remes sinum ingressæ, in Histriam usque prædabundæ pro-  
cessere. Ad quarum famam naves longæ quinque Marco  
Michaeli decreto Patrum datæ, qui ad hostem medio co-  
natū opprimendum, si fieri posset, confessim moveret.  
Sed dum naves expediuntur, hostis non minori, quam  
venerat, celeritate sinu excessit. Per eosdem ferme dies  
triremes octo Joanne Sanuto Præfecto in altum eductæ,  
nec ita multo post novem aliæ: utriusque classis impe-  
rium est Nicolao Pisano datum. Is, Ionii Ægeique ma-  
ris ora perlustrata, inde Hellesponto emenso, Peram us-  
que progressus, multa Genuensiū navitia mira celerita-  
te intercepit, in quibus cetheæ duæ fuisse dicuntur, mer-  
ce tam preciosa refertæ, ut ducentorum millium sum-  
mam æquarint. Novem Genuenses nobiles cum negocia-  
toribus non paucis, in illis capti. His prospero cursu ge-  
stis, quum constans fama esset, Genuenses ingenti na-  
vium numero, aut jam domo movisse, aut certe paulo  
post moturos, tutius semper fuisse ratus Pisanus, inferre  
arma, quam illata propulsare, & in alienis finibus, quam  
in suis bellare, viginti longis navibus ex omni numero  
lectis, Marco Michaele cum reliquis triremibus ad  
præsidium sinus relicto, fœlici navigatione usus in Sar-  
diniam venit, ubi se Aragoniæ classi quadraginta lon-  
garum navium, & cethearum trium, quibus Bernardus  
Caprarius præterat, se junxit. Obsidebat barbarus per id  
tempus Algerium oppidum; inde junctis classibus, in  
Caralitanum sinum ventum. Genuenses Bosphoranæ pu-  
gnæ memoria feroce, tribus & quadraginta longis na-  
vibus domo profecti, Antonii Grimaldi ductu ad ho-  
stem ire pergunt. Circa Cyrnum pugnatum scribunt  
quidam: alii ad Calarim, qui locus in parte Sardiniae

1353